



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Tonitrua, Fulgura, Tempestates.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

rum & Israelitarum, ita ut ad se invicem accedere non valerent. Exod. 14. Erat autem nubes tenebrosa posteriore sui parte, qua respiciebat Aegyptios, ipsis & aspectum & accessum ad Hebraeos impediens, anteriore vero sui parte erat lucida & flammea radios lucis suae emittens ad tota castra Hebraeorum, & sic illis viam per mare demonstrans, in quo Aegyptiorum submersa sunt 30000. Equitum, 200000. Peditum, & sexcenti falcati currus. Aquae in mari rubro sunt pellidae, rubrum autem vocatur ob arenam ejus rubeam. Admirare providentiam Dei erga amicos suos, potentiam & justitiam erga inimicos suos. Item reflecte, quod sacri textus de Messia Christo Judaeis ex malitia sua excocatis sint nubes tenebrosa Christianis lucida lucis suae radios emittens. Sic & Haereticis, (utunque S. Scripturam claram esse dicant,) impiisque Catholicis verbum Dei tenebrae sunt.

Tonitrua, Fulgura, Tempestates.

Vox tonitruum in rota (sive curruum Pharaonis rotas evertens in mari rubro) illuxerunt coruscationes tuae orbi terra, commota est & contremuit terra. Pl. 76. Incolae terrae, imò & ipsa terra saepe tremunt à fragore tonitruum. Vox Domini intercidentis flammam ignis (intercidentis fulgura, & divisa spargens fulmina) Vox Domini preparantis cervos. Pl. 28. Ad partum scilicet praeter terrorem, cervae enim teste Jobo difficillime pariunt, tonitruum autem fragore teste

Plinio tremefactæ fœtum effundunt, Sic peccator differens pœnitentiam fulmine sive physico sive morali, v. g. vivâ imaginatione inferni territus virus peccati ejicit. Et in hoc sensu etiam intonuit de celo (sæpè in S. Script. cælum pro aère ponitur) Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis [fulmina & fulgura sic appellantur] & misit sagittas suas (fulmina hæc sunt irati tela trifurca Dei) & dissipavit eos ; fulgura multiplicavit , & conturbavit eos. Pl. 17.

Nix.

NUnquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis respexisti? Job. 38. Nempe multa scire vis, & originem eorum, quæ toties vides, non intelligis. Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. Pl. 50. Per pœnitentiam. Tegens fœcundum aut sterquilinum nix symbolum hominis pulchri, sed peccatoris.

Pluvia.

Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Job. 29. Hoc verificatur in homine sacrâ doctrinâ & eloquentiâ apud proximum fructificante. Terra venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Hebr. 6. Terra cor humanum, quod cum imbre divinæ gratiæ profert fructum.